

# **Landesbibliothek Oldenburg**

**Digitalisierung von Drucken**

## **Desiderii Erasmi Roterodami Paraphrases In Novvm Testamentvm**

Praemissa Est Io. Aug. Noesselt Historia Paraphraseon Erasmi Rot. In  
Novum Testamentum

**Erasmus, Desiderius**

**Berolini, MDCCLXXX**

**VD18 90514300**

Vita Sancti Iacobi Apostoli Per Divum Hieronymum.

**urn:nbn:de:gbv:45:1-14035**

---



---

VITA SANCTI IACOBI APOSTOLI

PER

DIVUM HIERONYMUM.

**J**acobus, qui appellatur frater domini, cognomen-  
to Iustus, ut nonnulli existimant, Ioseph ex alia uxore,  
ut autem mihi videtur, Mariae sororis matris domini,  
cuius Ioannes in libro suo meminit, filius, post passio-  
nem domini statim ab apostolis Hierosolymorum epi-  
scopus ordinatus, unam tantum scripsit epistolam, quae  
de septem catholicis est, quae et ipsa ab alio quodam  
sub nomine eius edita asseritur, licet paulatim tempo-  
re procedente obtinuerit auctoritatem. Hegesippus vi-  
cinus apostolicorum temporum in quinto commenta-  
riorum libro de Iacobo narrans, ait: Suscepit eccle-  
siam Hierosolymae post apostolos frater domini Iaco-  
bus, cognomento Iustus. Multi siquidem Iacobi voca-  
bantur. Hic de utero matris sanctus fuit, vinum et fi-  
ceram non bibit, carnem nullam comedit, nunquam  
attonsus est, nec unctus unguento, nec usus balneo.  
Huic soli licitum erat ingredi sancta sanctorum. Siqui-  
dem vestibus laneis non utebatur, sed lineis, solusque  
ingrediebatur templum et flexibus genibus pro populo

Ggg 5

deprecabatur, in tantum, ut camelorum duritiem traxisse eius genua crederentur. Dicit et alia multa, quae enumerare longum est. Sed et Iosephus in vicesimo libro antiquitatum refert, et Clemens in septimo Hypotyposeon, mortuo Festo, qui Judaeam regebat, missum a Nerone esse successorem eius Albinum, qui quum necdum ad provinciam pervenisset; Ananus, inquit, pontifex adolescens Anani filius, de genere sacerdotali, accepta occasione *ἀναξίας*, concilium congregavit, et compellens publice Iacobum, ut Christum Dei filium denegaret, contradicentem lapidari iussit. Qui quum praecipitatus de pinna templi contractis cruribus, adhuc semivivus tendens ad coelum manus, -diceret: Domine, ignosce eis, quod enim faciunt, nesciunt, fullo- nis fuisse, quo rudia vestimenta extorqueri solent, in cerebro percussus, interiit. Tradit item Iosephus, tantae eum sanctitatis fuisse, et celebritatis in populo, ut propter eius necem creditum sit subversam esse Hierosolymam. Hic est, de quo Paulus apostolus scribit ad Galatas: *Alium autem apostolum vidi neminem, nisi Iacobum fratrem domini.* Et apostolorum super hoc crebrius acta testantur. Evangelium quoque quod appellatur secundum Hebraeos, et a me nuper in graecum latinumque sermonem translatum est, quo et Origenes saepe utitur, post resurrectionem salvatoris refert. Dominus autem, quum dedisset sindonem servo sacerdotis, ivit ad Iacobum et apparuit ei. Iuraverat enim

Iacobus, se non comesturum panem ab illa hora, qua biberat calicem domini, donec videret eum resurgentem a mortuis. Rursusque post paululum: *Afferte,* ait dominus, *mensam et panem.* Statimque additur: *Tulit panem et benedixit ac fregit, et dedit Iacobo Iusto et dixit ei: Frater mi, comede panem tuum, quia resurrexit filius hominis a dormientibus.* Triginta itaque annos Hierosolymis rexit ecclesiam, id est, usque ad septimum Neronis annum, et iuxta templum, ubi et praecipitatus fuerat, sepultus est. Titulum usque ad obsidionem Titi et ultimam Hadriani notissimum habuit. Quidam e nostris in monte Oliveti eum putaverunt conditum, sed falsa eorum opinio est.

---

IN  
EPISTOLAM JACOBI APOSTOLI  
ARGUMENTUM

PER  
DES. ERASMUM ROTERODAMUM

**J**acobus, quoniam erat Hierosolymitarum episcopus, scribit et caeteris Judaeis, qui per omnes nationes sparsi habitabant, variis praeceptis vitam illorum formans atque instituens.

ARGUMENTI FINIS.

---